# Capitulū XLIII

¶ Incipit quintus dyalogus. de lapſu miſerabili generis hu-
mani. ⁊ q̄r p̱ vnū hoīem omnes cecidimus.

## An talis ſit hō qualis eē̄ debet.
et an faciat qđ facere tenet̄ ¶ Caplm. xliij.

DOminic⁹. Tota hac nocte cōcitauit me ſpūs meus pre
deſiderio ſermonū tuoꝝ. Sepe em̄ cauſabar noctis morā̄
at vero vbi aſpexi tenuiſſimū auroreſumen ſubito e ſtra
to mēbra corripui ⁊ huc heſterne pollicitationi feſtinus
occurro. ¶ Raymūdus. Amo mi dn̄ice ſollicitudinē ardoris tui.
Hactenus ſicut noſti egimus ꝓceſſum noſtꝝ p̱ modū obligatōnis
ac debiti. oſtendim⁹ em̄ hoīem ꝓpter multa bn̄ficia q̄ accepit obliga
ri deo muneratori ſuo. hanc quoqꝫ obligatōem eſſe naturalē. ꝑpetuā̄
indelebilē. incorruptibilē. ſcriptā ſtilo ferreo in vngue adamātino.
et exaratā in aīa ⁊ corp⁹ hoīs ⁊ in oīb9 creaturis. Omnia em̄ creata
ꝓpter hoīem hui⁹ inſolubilis obligatōis ꝯferūt teſtimoniū Oſtē-
dimus etiā q̄ꝫ grādia bona ſequant̄ hoīez ſi debitū q̄ obligat̄ exolue
rit. ⁊ q̄ꝫ inexpiabile malū incurrat ſi ꝯtēpſerit Nūc aūt adiutore deo
inq̄rendū ē an hō debitū obligatōis q̄ tenet̄ implicitus etiā exoluat.
an ſuū op⁹ cū ſuo debito ꝯcordet. an ſit iuſtū vel iniuſtū. rectum an
obliquū. ſ͠m deū vel ꝯtra deū id qđ agit. Scrutemur nunc ꝓfunde
ipm̄ hoīem. ⁊ interna viſcera ei⁹ oēſqꝫ medullas penetrem⁹. ⁊ iuenie
m⁹ ꝓculdubio nihil hoīem agere aut cogitare qđ tenet̄. ſꝫ oīa effice
re ꝯ̄ria. Formem⁹ igit̄ mētē ad lachrymas. ⁊ cū gemitu p̱ lāctuqꝫ loq̄
mur. videbim⁹ em̄ grauiſſimā ruinā nobiliſſime ⁊ altiſſime creatu-
re. ⁊ eā ruinā quā nemo poterit erigere. nemo valeat expiare ¶ Dn̄i
cus. Initia hec ſermonū tuoꝝ gemit⁹ mihi oci⁹ excutiūt. Tu tn̄ re-
preſſis parūp̱ lachrymis ſenſum tuū potēter exeq̄re ¶ Raymūdus.
Faciā q̄ꝫtū potero Prima lux q̄ innitimur ad cognoſcendū hoīem ē
agnoſcere q̇d facere debeat. ſcđa videre q̇d faciat. Agnouim⁹ itaqꝫ ex
p̄cedētib9 libris q̇d hō obliget̄ agere. q̇d cupe. q̇d ore ꝓferre. hic aūt
agnoſcem⁹ q̇d agat. q̇d cupiat. q̇d loquat̄ Agnouim⁹ (vt dixi) ꝙ hō
tenet̄ p̄mo deū amare. timere. honorare. laudare. bn̄dicere. venerari.
et diligere ꝓximū ſuū (q̄ dei imago ē) ſicut ſemetipm̄. Ecce h̄ dꝫ hō.
vide nūc q̇d agat ¶ Dn̄ic⁹. Uideo plane nihil tale hoīem agere. ſꝫ
oīa ꝯtraria. Amat em̄ heu dolor p̄mū ſemetipm̄. ⁊ ꝯtempto neq̄ter
creatore ꝓpriū q̄rit honorē. ꝓpriā laudē ⁊ famā ⁊ gloriā. ⁊ quicq̄d
debet dari p̄ncipaliter deo factori ⁊ muneratori ſuo. ſibi tribui diligit
et impendi. ¶ Raymundus. Ex iſto p̱ alam animaduertis hominē
penitus corruiſſe. habereqꝫ voluntatē oīm iuſticie rebellem. totiqꝫ le-

Qꝫ hō nihil a-
git eoꝝ q̄ tenet̄
nec erga deū nec
erga ꝓximū

gi nature ꝯriā. extra deū. extra oēm pietatis regulā. extra ſemetipām
penitꝰ corruptā. erraticā. īpiā. ꝑuerſam. alienatā. turpiſſimā. ſupbiſſi
mā. falſiſſimā. odibilē deo ⁊ ab eiꝰ ꝯſortio lōgiſſime ſepatā. ⁊ eterna
morte ſepultā. Qualis aūt volūtas hoīs talis ē ⁊ totus hō. deo con
trarius. deo rebellis. deo capitalis inimicus. oīm maloꝝ radicē in ſe
ꝯtinens. ꝑditus. corruptus. bis mortuus Hinc ſequit ꝙ talis hō va
dit ad eternā triſticiā. eternā penā. eternā miſeriā. ⁊ ad calamitatem.
inexpiabilē. eo ꝙ ꝑdiderit reppuleritqꝫ ꝑpetuū ſui ꝯditoris amorē
¶ Dñicus. Aptiſſime nūc liquet q̄ ſit hoīs amara ꝑditio. alienatio
corruptio. degeneratio. Hoc oēs creature clamitāt. hoc ꝑdicāt hoīez
eē veraciter ꝑditū. eterno ſupplicio dignū. ⁊ a dei amicicia ꝑpetuo ſe
ꝑatum. ¶ Raymundus. Uidiſti nūc nō ſine gemitu qꝫ ꝑdite ſe hō
gerat erga deū. vide nūc quō ſe habeat erga dei imaginē ſcꝫ ꝓximū. ⁊
ampliorē eius ruinā intelliges. Hō eīm obligat amare quēlibet aliū
hoīem ſicut ſemetipm. Uex nūc expimento diſcimꝰ ꝙ hō hoīem le/
dit. affligit. ꝯfundit. deſtruit ⁊ occidit Nulla ē inter hoīes vẽa vnitas
vera ſocietas. vẽa pax. amicicia. ꝯcordia. ſꝫ inimicicie. ꝯtentōes. emu/
lationes. diſſentōes. ire. rixe. inuidie. ſecte. ⁊ vniuerſe malicie. Qꝫ ſi
forte inter aliq̄s reperiātur aliq̄ aut concordie aut amicicie. nō ille de
amore imaginis dei oriunt. ſꝫ ꝓpter tꝑales vel carnales rōnes q̄ ſin/
cerū amorē nunqꝫ ꝯſtituunt. ¶ Dñicus. Hō q̇ dei inimicꝰ ē dei etiā
imagini ſp ꝯtrarius eſt. nec pt vẽo corde ꝓximū diligere q̇ deū ꝯtem/
nit amare. Neqꝫ id mirū ſi quēlibet extra ſe hoīem odit. q̇ neqꝫ ſeipm
diligit. Qui eīm diligit ꝓpriū honorē odit ꝑfecto aīam ſuā ¶ Ray
mundus. Cū videā hoīem ſic in abyſſum oīs malicie corruiſſe non
poſſum lachrymas ꝯtinere cernens eū nō ſentire ſuam corruptōem.
ſuā ꝑpetuā mortē. Nō dolet. nō flet. nō ingemiſcit. immo quottidie
ridet. iocundat. ſupbit. exultat. ⁊ more amentis frenetici in febre car
nis ſenſum ꝑdidit cordis. Et inſtar eius qui letheo ſomno obdor/
miſcens ſua mala nō ſentit. Uulnerauerūt me ait ⁊ ego nō dolui. ꝑ/
cuſſerunt me ⁊ ego nō ſenſi. ¶ Dominicus. Quia ergo in ſemetipo
ſua mala nō ſentit. oſtende ei obſecro ꝑ res extra corruptas quid de
ſua corruptōne ſentire poſſit. Reduc eum ꝑ id quod extra nouit ad
ſeipm quem non nouit

## Qꝫ hō pt cōſiderare corruptōez ſuā ꝑ res externas in ſe corruptas. ¶ Caplm. xliiij.

Raymūdus. Facile id fecero. vtinā dignet aduertere. Primo
videat quō vinū corruptū ſit qḋ ē in acetū ꝑmutatū. Uinum
eīm ⁊ acetū hn̄t q̄litates ꝯrias. Nā vinū eſt calidū. dulce. potabile.
delectabile. Acetū vero eſt frigidum. acerbū. quādo nec potari poteſt

nec delectari. Talis ē ⁊ hō frigid⁹. amarus. ⁊ horrid⁹ Et ſicut acetuꝫ
nihil valet ad id qd̓ an̄ valebat. ita ⁊ hō penitus inutilis factus eſt
et deo ⁊ ſibi ⁊ creaturis. Et ſicut acetū reiectū ē a menſis. eo ꝙ nullā
habeat vini priſtini bonitatē. ita ⁊ hō ab oculis dei ꝓiectus iacet. eo
ꝙ natiuā ꝑdiderit dignitatē ⁊ factus ſit acetoſus. ponticus. crudel'.
acerbꝰ. eterna abhominatōe digniſſim⁹. Scd̓o. q̄ntū diſtat hō frene
ticus amens ⁊ fatuus ab hoīe ſenſato ſapiēte ⁊ docto. tm̄ diſtat ſta/
tus hoīs in q̄ nunc putridus iacet ab illo ſtatu in q̄ merito eſſe debe/
ret. Tercio. q̄ntū diſtat mulier ſordida. fornicaria ⁊ adultera q̄ ſicut
ſtercus in via ꝯculcat᷑. a muliere pudica. ſobria ⁊ honeſta. tm̄ diſtat
hō nunc fornicans ⁊ recedens a deo ſuo. q̄ deberet illi eē fidelis. ꝯti/
nens ⁊ pudicus. Quarto. ſicut arbor q̄ hꝫ in radicibꝰ medullā ama
rā. crudā ⁊ ſilueſtrē poma tribuit pontica. acerba. ſilueſtria. q̄ ſi quis
guſtauerit obſtupeſcent dētes eius. ita hō, cū habeat voluntatē cor/
ruptā. impiā. amarā. oīa opa eius corrupta naſcunt᷑ deo ⁊ hoībꝰ ex/
oſa creaturis. eternis ignibꝰ deputata ¶ Dn̄icꝰ. Utinā in his ſpecul᷑
hō ſuā turpitudinē velit attēdere vt ſe deformē lugeat ⁊ miſerabilē.

## Q⁹ lapſus et corruptio hoīs pt attēdi ex pte iuris paternitatis ⁊ filiatōis ¶ Capl'm. xlv.

Raymūdus. Animaduerte nūc etiā hoīs corruptā vitā ꝯferē
do inter ſe ius paternitatis ⁊ filiatōis. Attēde diligēter q̄d fi
lius debeat ſuo patri carnali a q̄ ſolū corpus accepit. ⁊ facile cogno/
ſces q̄d hō debeat deo patri ſuo a q̄ aīam nobiliſſimā adeptus ē. in/
corruptibilē. inſolubilē. ſpiritalē. interminabilē. Debet em̄ filius pa
tri tpali amorē. timorē. honorē. fidē. reuerentiā. obedientiā. ꝯſtantiā
ꝑſeuerantiā. obſequentiā. Pari mō. imo multo amplius hō patreꝫ
ſuū ſpiritalē deū tenet᷑ amare. metuere. honorare. obedire ⁊c̄. Itē fili⁹
carnis cauet ne aut offendat aut vitupet aut ꝯtriſtet aut dehoneſtet
patrē ſuum. Cauet etiā ⁊ ſe opponit ne ab alijs aut offendat᷑ pater.
aut vituperet᷑. aut ꝯtriſtet᷑. aut indigne agat᷑. Hec oīa multo diligen
tius dꝫ obſeruare hō erga deū genitorē ſuū ¶ Dn̄icus. Quorſuꝫ iſta
¶ Raymūdus. Ut palā videas hoīs ruinā. hō em̄ in eo ſtatu in q̄ Nota h̄ hoīs
nūc lapſus iacet erga deū nec amorē hꝫ nec timorē. nec obediētiā nec ruinam
humilitatē. nec ſubiectōeꝫ. nec ꝯfidētiā. nec ſpem. nec credulitatē Im
mo (qd̓ ſine gemitu nō audies) odit deū. ⁊ ꝯtēnit. vitupat. ⁊ in faciē
eius ſupbiens rebellē ſe illi ⁊ inobedientē. audacē. timiduq3 ꝯſtituit
¶ Dn̄icus. Hinc reuera pꝫ hoīs ꝑditio. corruptio. alienatio ⁊ ſem/
piterna deiectio ¶ Raymūdus. Planius adhuc patebit. Nos vide
mus ad oculū qn̄ filius aut offendit. aut ſupbit. aut calūniat᷑ patrē
ſuū carnalē. oēs eū ⁊ nequiſſimū. iniuſtiſſimū. ingratiſſimū iudica/

mus. freneticũ eũ ꝛ inſanũ dicim⁹. Cogita nũc q̃ iudicio. q̃ vitupē rio. q̃ ſupplicio dignus ſit q̃ patrē ſpirituũ offendit ꝛ mille iniurijs afficit. Preterea. ſi grauiſſimũ crimen ē exaſꝑare ꝛ ɔtemnere patrē potentē. diuitē. nobilē. ſapientē. ſine cõparatõe magis delinquit qui regē oīpotentē ꝛ ſumme ſapientē ꝛ optimũ genitorē deũ aſꝑnanter habuerit. Quid nũc tibi videt̃ ¶ Dñicus. Nihil aliud plane niſi ꝙ hõ ſe hꝫ ad deũ ſicut ꝓteruus ꝛ rebellis ꝛ ſupbꝰ filius ad patrē ſuum Atqꝫ iõ incurriſſe irã ꝛ indignatõem inextinguibilē dei patris oīpo tentis. ꝑdidiſſeqꝫ oēm hereditatē. oīa bona. atqꝫ infinitas diuitias illius. nec iã poſſe ſperare aut pacē aut regnũ aut ɔſortiũ eius mag̃ aũt ꝓijci foras ꝛ in carcerē ſempiternũ mancipari.

## Qꝫ etiã lapſus hoīs pt̄ oſtendi ex parte iuris fraternitatis

¶ Capl'm. xlvi.

Raymũdus. Qꝫ hõ in maximã ruinã ceciderit poteris etiam aīa aduertere ſi ius fraternitatis inter homīes ɔſideres Si em̄ inter fratres carnales ē tantus amor tãta vnitas. tanta germanitas. ꝙ nihil habeant diuiſum. nihil ꝓpriũ. ſed vnus alteꝝ defendit. ꝓte/ git. dirigit. auxiliat̃. ꝛ ſe in mortē obijcit ꝓ altero. Et hec oīa faciunt qꝛ hñt vnũ atqꝫ eundē patrē hoīem a q̃ carnali generatõe ꝓdierunt Multo magis hoīes qbꝰ eſt vnus pater ſpũalis deus a q̃ oēs aīam receperunt debent ſe diligere. tueri. auxiliari. ꝛ in mortē tradere ꝓpter aīas ſuoꝝ fratrũ. Hoc em̄ vehemēter deus pater noſter videre deſide rat. hoc approbat. hoc ſe plurimũ delectat ¶ Dñicus. Nihil tale in/ ter hoīes nunc reꝑimus. Et lꝫ vnũ habeant patrē deũ ſumme maie/ ſtatis ꝛ bonitatis dñm. vn⁹ tñ alteꝝ ꝑſequit̃. odit. execrat̃. ꝛ rapinis fraudibꝰ. iniurijs. adulterijs. ɔuicijs. ludibrijs. ꝛ mille neq̃cijs ɔtri/ ſtat. ɔturbat. cõtaminat. ꝛ exterminat. Quia igit̃ oīs pax. ɔcordia. veritas. iuſticia. amor. miſericordia ꝛ fraterna dulcedo inter hoīes perijt. iõ manifeſtiſſime pꝫ hoīem eē corruptũ. lapſum. putridũ. ꝑr/ uerſum. ꝑditũ Cecidit em̄ a ſtatu ſpũalis fraternitatis. a ſtatu maxi me dignitatis ꝛ glorie ad ſtatum ſumme ignominie. ſummi vitu/ perij et opprobrij. a ſtatu vite ad ſtatum mortis ſempiterne.

¶ Raymũdus Optime tu q̃dē Reuera em̄ in mortē aīe cecidit hõ etiã etſi corꝑe viuat. Qꝫ aũt aīa hoīs mortua ſit facile id ꝓbauero. Aliq̃ em̄ res cognoſcit̃ viuere dũ ſuas exercet oꝑatões. ſi ãt nõ oꝑa tur mortua ē. Et qꝛ hõ nõ oꝑat̃ inq̃ꝫtũ hõ (nõ em̄ amat aut honorat dñm deũ ſuũ. nec diligit fratrē ſuũ) iõ ſm̄ aīam mortu⁹ ē hõ. Prete/ rea. vita aīe ē gaudiũ qd̃ ꝓuenit de puro amore ꝛ ſocietate dei. de ſpa q̃qꝫ ad inuicē fraterna charitate. Ubi aũt tale gaudiũ nõ ē. vbi nul la aīe vita ē. mortua igit̃ ē. Preterea. aīa nõ ſentit. qꝛ non ingemiſcit

Qꝫ aīma hoīs mortua eſt

malū ſuū.ſuā corruptōem.alienatōem.ꝑditōem.iō ꝟe mortua ē ⁊ le
theo poculo ꝯſopita ¶ Dñicus. Ex iſto luce clariꝰ apparet aīam ſic
mortuā ⁊ ſuis malis penitꝰ abſorptā.ad eterna neſciā feſtinare tor-
menta.nec vnq̄ȝ ſeſe ſentire poſſe niſi dū in medijs oīm penaꝝ ſuppli
cijs ſe inuenerit īmerſam. Sȝ dicito mihi obſecro. nunq̇d in tā mi-
ſerabili ⁊ ꝑditiſſimo ſtatu optimus deus hoīem a ꝓcipio ꝯdidit

# Q⁊ dñs deus hoīem nō cōdidit
in iſto ſtatu in q̇ nunc lapſus iacet ¶ Caplm.xlvij.

Aymūdus. Nulla rōe dicere opꝫ deū in h̄ ſtatu imo in h̄ la-
pſu hoīem ꝯdidiſſe. Qđ pt oſtēdi multis modis Primo cū
deus oīa opeꝛ ꝓpter honorē ſue poteſtatis.ſapiē ⁊ bonitatis.nūq̄ȝ de
buit hoīem oīm creaturaꝝ nobiliſſimū facere corruptū.turpē. beſtia
lem.ipiū.inordinatū.iniuſtū q̇ oēs creaturas bonas fecit ⁊ valde bo
nas. Hoc eñ derogaret maxīo honori ſuo. Scđo.ſtatꝰ(in q̇ nūc hō
iacet)ē oīno ꝯtrarius ⁊ inimicꝰ deo. Eſt eñ hō in h̄ ſtatu dei aduerſa
riꝰ.ſuū vſurpās honorē ⁊ gliam ⁊ ſibiipi tribuēs Talē igiꝛ deꝰ hoīeȝ
nō ꝯdidit q̇ ſibi ſꝑ aduerſareꝛ ⁊ dura ceruice reſiſteret. Tercio. dixi-
mus ſup̄ ꝙ ſicut deꝰ oīa fecit ꝓpter ſuū honorē.ita etiāȝ ꝓpter hoīs
vtilitatē. Nō ḡ fecit hoīem in malū ⁊ incōmoduȝ ſuīpius qđ vtiqȝ
ſeq̄reꝛ ſi eū talē creaſſet q̄lis mō ē Hō eñ vt mō ē.ē penitꝰ ſibiipi ꝯtriꝰ
in ſuū vergēs incōmodū ⁊ maximū detrimentū.eo ꝙ amat in ſe pro
priā volūtatē.ꝓpriū honorē.q̇ radices ſunt maloꝝ oīm.q̇ mergunt
eū in interitū ſempiternū. Per has eñ radices opaꝛ ꝯtinue ꝯtra ſe-
metipm in ſuū damnū.in ſuā ignominiā.i ſuā ꝯfuſionē ⁊ punitōeȝ
ꝑpetuā. Quarto.deus nō debuit facere hoīem ꝯtra ordinē totiꝰ vni-
uerſi.oēs eñ creature faciūt qđ debēt ⁊ ſuo obediūt creatori. Sȝ ſolꝰ
ab īpoſita lege vagaꝛ hō.ſolus īpe obedire ꝯtēnit ſupbꝰ.turgidꝰ.ere-
ctus ꝯtra dnm creatorē ſuū. Preterea.creature req̇runt hoīem ꝙ ſit
amicꝰ dei.qꝛ hoī ſeruiūt ꝓpter deū.req̇runt etiā hoīem rōnalē.ſapien
tem.ordinatū.ꝯpoſitū. Sȝ hō in h̄ ſtatu ē dei inimicꝰ.beſtialis.inſi-
piens.inordinatꝰ.incōpoſitꝰ ¶ Dñicus. Vere beſtialis ⁊ inordina-
tus in quo aīa miſerabilr̄ ſeruit.⁊ corpus neq̇ter dñatur. cum tamē
aīa ſit immortalis.incorruptibilis.ſpūalis.corpus vero ſit mortale
aīale.terreſtre.corruptibile. Quid tā beſtiale q̇d tā ꝑuerſum q̄ȝ ipm
corpꝰ cū ſuis irrationabilibꝰ ⁊ turpiſſimis motibꝰ aīe(q̄ regina ⁊ do
mina eſt nobiliſſima)dñari.eā vero corpi ſubeſſe.a corpe captiuā tra
hi.⁊ ſuis ignobiliſſimis paſſionibꝰ ac voluptatibꝰ aſſentire. immo
nō poſſe reſiſtere. Reuera ingens in homine ignominia q̇ patiꝛ in ſe
rem beſtialem ⁊ corruptibilem dominari rei nobiliſſime atqȝ ꝑpetue.

# Dyalogus Quintus

¶ Raymūdus. Hinc ſane intelligis oēs creaturas q̄ inter ſe ordi/
natiſſime ſunt hoīs turpiſſimā arguere deordinatōem. oſtendereqꝫ
eū eſſe totius turpitudinē ⁊ ſpurcicīe vniuerſi Quia igiť nihil opať
deus ꝯtra ordinē vniuerſi. ſequiť ꝙ nō talē fecerit hoīem vti nunc ē.
Qui eñ fecit creaturas bonas ꝓpter hoīem. magis debuit facere ho
minē bonū. ¶ Dñicus. Optima aſſertio tua. qꝛ igiť optimus con/
ditor deus nō fecit hoīem qualē nunc cū lachrymis vidimus. rogo
te mi raymūde dulciſſime oſtēdito mihi in quo illū ſtatu ꝑmū deus
creauerit. Sicut eñ acetum arguit vinū fuiſſe. ita hic lapſus hoīs
arguit hominem aliquando ſtetiſſe

## Qualis erat ſtatus hoīs prim⁹. et quas habebat ꝯditōnes

¶ Capitulū. xlviij

Raymūdus. Iſte lapſus hoīs (vt vere dicis) ſatis oſtēdit ipm
hoīem aliū vite ſtatū aliqñ habuiſſe. ⁊ ꝯditōes ꝯtrarias ꝯdi
tionibꝯ q̄s nunc videmus Cōditōnes ꝟo (q̄s nūc in hoīe cū gemitu
intuemur) ſunt ꝙ nō cognoſcit. nō diligit nō metuit. nō laudat. nō
honorat deū factorē ſuū. ſꝫ amat ꝓpriā volūtatē. ꝓpriā laudē. vane
timet. vane ſperat. vane deſiderat. poſt vanitatē ambulat. ⁊ van⁹ effe/
ctus eſt. Preterea. ꝯtra rōem iraſciť. odit. indignať. ambit. ꝯcupiſcit
et plus q̄ꝫ optet comedit ⁊ bibit. Et hec q̇dē ſunt mala aīe. Mala
corpis ſunt infirmitas. fragilitas. carnis lubricitas. fames. ſitis. al/
gor. ⁊ calor. grauis ⁊ moleſta ſenect⁹. incerta ⁊ amara mors. Ex his
ꝯditionibꝯ malis arguim⁹ hoīem ꝯtrarias aliqñ ꝯditōes habuiſſe.
deū ſcꝫ ſuū cognouiſſe. amaſſe. metuiſſe. honoraſſe. laudaſſe. Nō tūc
ꝓpriā voluntatē aut laudē aut gloriā q̄ſiuiſſe. nihil turpiter appetiſ
ſe. Corpus ꝟo hoīs erat aīe ꝟe ſubiectū. ſanū. integrū. robuſtū. vege
tum. ſucco plenū. equeuū. īpaſſibile. incorruptibile. agile. īmortale.
¶ Dñicus. Iſte ꝯditōes q̄s tūc habuiſſe hoīem oſtēdis arguunt in
alio q̇dā loco habitaſſe q̇ oīno ſit iſti loco ꝯtrarius ¶ Raymūdus.
Arguūt plane. ⁊ iō añ ruinā hō incolebat locū ameniſſimū. iocūdiſ
ſimū. lucidiſſimū. ſuauiſſimū. opulentiſſimū. tēperatiſſimū. in q̄ nec
caumata. nec frigora. nec venti. nec turbines. nec grādines. nec ful/
gura. nec tonitrua. nec aliq̄ peregrine inerant īpreſſiones. In hūc āt
mundi carcerē poſt ꝑuaricatōem hō ꝓiectus ē. in q̄ ē tāta elemētoꝝ
indemētia donec iudicij dies aduenerit vt vel tunc ꝯdēnat⁹ ꝑpetuo
cruciet ¶ Dñicus. O amarā miſeriā. ſꝫ vlteri⁹ q̄ſo ꝓficiſcere ¶ Ray
mundus. Hoīem aliū habuiſſe vite ſtatū oſtendūt palā oēs creatu
re. Sicut eñ oēs colligant cū hoīe. ita ⁊ iſte hō ꝑ bonā voluntatem
ſuo fuit vnitus ⁊ ꝯplicitus creatori. Habebat eñ ſe ſicut op⁹ ad ſuū
opificē. ſicut muneratus ad largitorē. ſicut ſeruus ad regē. ſicut fili⁹

Qꝫ hō añ lapſum aliū habuit locum

ad patrē. Scđo exquo tota nobilitas hoīs ꝯſiſtit in libero arbitrio
bono. ſano. ⁊ integro (ꝑ liberꝝ eñ arbitriū hō dominaꝛ omī ſub ſe cre/
ature) ꝯſequēs ē ꝙ deꝰ fecerit hoīem cū bono ⁊ recto ⁊ ꝑfecto libero ar
bitrio. Cū eñ nihil ſit peius. nihil vilius. nihil turpius. nihil abho/
minabilius q̄ꝫ corruptū ⁊ putridū liberꝝ arbitriū. iō nequaq̄ꝫ deꝰ tale
arbitriū hoī dedit. Alioq̄n dando tale liberꝝ arbitriū oīm abſtuliſſet
hoī libertatē. q̄ꝛ dediſſet ei libertatē ꝯtra libertatē. Corruptū eñ liberꝝ
arbitriū ⁊ ꝓcliue ac ꝓnum in oē malū. miſere liberꝝ ē. imo captiuum
abducit vicijs ⁊ ſordibꝰ irretitū. ¶ Dñicus. Hec ē ſentētia ſapientis
Vinculis ſeu funibꝰ pctōꝝ ſuoꝝ vnuſquiſq̄ꝫ ꝯſtringit. Patꝫ igitur
ne libertas ſubruat libertatē hoīem accepiſſe a deo optimā liberi arbi
trij poſſeſſionē. nec quicq̄ꝫ habuiſſe rebellionis ſiue in mēte ſiue in car
ne. ¶ Raymūdus. Hinc ſequit tertiū qđ dicere volui. ꝙ in ꝑmo ſta
tu nihil in ſe hō poſſidebat qđ erat ſue volūtati ꝯtrariū. Et ideo aīa
immortalis nolebat corpus ſuū eſſe mortale. paſſibile. variabile. in
firmū. caducū. morbo aut ſenio ꝯfectū. Habebat igit tale corpꝰ quale
volebat. impaſſibile. robuſtū. gratiſſima iuuētute ꝯpoſitū. inſolubi
le. immortale. ¶ Dñicus. Quō queſo potuit corpus eē immortale
¶ Raymūdus. Virtute tēperatiſſime ꝯplexionis. ⁊ ꝟtute aīe imor/
talis. q̄ꝫdiu eñ aīa nō fuit corrupta vicijs nō poterat corpꝰ morbis
aliq̄bꝰ aut fatigari aut frāgi. At qm̄ oēs creature obediebāt hoī hoīe
obediēte creatori. iō nō poterat nec ab igne ledi nec vndis ſorberi nec
terra ſubrui nec aere corrūpi nec a feris immitibꝰ lacerari. nec aliquo
extrinſeco vel intrinſeco ad mortē vrgeri. ¶ Dñicus. Breuiter q̄dē
ſed multū luculenter oſtēdiſti mihi quē habuerit hō ſtatū anteq̄ꝫ in
hāc ruinā deſcēderet miſeradus. Verꝫ cū tu nūc dixeris nec ab aliq̄ in
trinſeco vel extrinſeco ꝑpediri aut decipi aut corrūpi hoīem potuiſſe
vñ ergo venit hoī iſta corruptio. iſta deiectio. iſta ꝑditio.

## De origine corruptionis et ma-li quod eſt in natura humana. ¶ Caplm. xlix.

Raymūdus. Ad imū vſq̄ꝫ hoīs putredinē perſcrutantes inue
ſtigabimus que ſit cauſa hmōi corruptionis. Et breuiter di/
co. ſi homo a nullo aut corrumpi aut decipi potuit. igit corruptus ē
et deceptus a ſemetipō. Exquo eñ nihil pati poterat ꝯtra ſuā liberā
voluntatē. ideo ſequit ꝙ ſponte ipē ſe talem fecerit ſua ꝓpria volun/
tate. ¶ Dñicus. Iſtud eſt omniū amariſſimū qđ poteſt audiri. Si
eñ in arce libertatis ⁊ omniū bonoꝝ conſtitutus in hanc calamita/
tem ſuā ſponte homo collapſus eſt. q̄s iam miſerebit eius. Sed tu
rogo ꝓſequere vlterius ¶ Raymundus. Quicquid eñ boni erat in
homine ante ruinā hoc poſſidebat gratia liberi arbitrij ſani atq̄ꝫ per/

Quicq̄d i hōie malū ē de corruptōe venit liberi ar. ſua ſponte corrupti.

fecti. ita quicq̄d eſt nūc in hoīe corruptōis. malicie. pene atq3 miſerie de putredine ⁊ amaritudine venit liberi arbitrij Et q2 oīa debent proportionari libero arbitrio. qm̄ illud eſt malum atq3 corruptū. neceſſe eſt q̄ om̄ia que ſunt in hoīe mala ſint ⁊ putrida ⁊ mortifera. Hinc aīam raptant mille furores. ire. inuidie. ↄcupiſcētie. ſcelera oīa atq3 peccata. Hinc etiā corpus infinitis ſubiacet calamitatibꝫ. morbis. paſſionibꝫ. mortibꝫ ¶ Dominicus. Nihil verius q3 qđ tu dicis. Ex quo em̄ deus liberꝫ arbitriū nec malū nec corruptū fecerit. vere ſequit̄ q̄ liberꝫ arbitriū corruperit ſemetipm̄ Et quicq̄d in hoīe miſerꝫ ē atq3 malignū. ex mera ⁊ ſpōtanea deſcēderit volūtate peccātis ¶ Raymūdus. Nōne ergo tibi iuſtū videtur. vt qui in malū cecidit voluntarium. malū inuoluntariū patiat̄. Nōne iuſtiſſimū eſt vt qui ſponte corruit in malū culpe malū pene etiā inuitus ſuſtineat ¶ Dn̄icus. Nihil iuſtius Neceſſario em̄ vnū ab altero ꝓcedit Unde q2 primū malum eſt voluntariū ⁊ delectabile. ⁊ ideo nō facile ſentit̄. ideo neceſſario ſecūdū malū adhiberi debet qđ eſt inuoluntariū penale atq3 moleſtū. vt hoc poſterius p̄mū manifeſtet ⁊ a ſua reuocet amētia Semper em̄ vexatio magnū confert intellectū ¶ Raymundꝰ Ex iſto pulcre intelligis oportere eſſe aliquē iuſticie ordinē quo primū malum (qđ eſt malū culpe) puniat̄ ꝑ malum pene. qđ tn̄ eſt bonū iuſticie Primū malū eſt cauſa ſecūdi. ſ3 illud ab hoīe malo ſpōte ↄmittit̄. iſtud a bono iudice deo homini irrogat̄. vt qui nō timuit ꝑpetrare malum qđ nō oportuit. malū ſuſtineat qđ maxime nolit. ¶ Dn̄icus. Juſtū ꝑfecto iudiciū. vt q2 volūtas hoīs exijt ab ordine nature. in ordinē cadat diſtricte iuſticie Juſtū certe eſt vt q̄ ſemetipm̄ ſpōte impulit in malū delectabilis culpe. a deo iudice impellat̄ in malū miſerabilis pene Quia em̄ hō gloriā ſui arbitrij ⁊ decorē ꝓprie dignitatis in totā malicie turpitudinē ꝑmutauit. iō fecit deo ſummā iniuriā. ſummā offenſam ſtatuit ⁊ diſcordiā. ac ꝓinde tanq3 deo ↄtrarius ꝑdidit eiꝰ amiciciā coplacētiā ⁊ gratiā. ⁊ idcirco plaga inimici ꝑcuſſit eū vulnere inſanabili caſtigatōe crudeli. Cupio tn̄ abs te noſſe huiꝰ miſerie atq3 malicie auctorē. hūc mihi vno digito oſtēdito

## Qi per primū virū et primam mulierē ꝓpter eorꝫ inobedictiā hoc malū culpe ⁊ pene in om̄e hoīm genus intromiſſum eſt ¶ Capitulū. I.

RAymūdus Si ſacris litteris credimꝰ. ꝑ adam p̄mū virꝫ ⁊ euā ſuā ↄiugem hoc corpis ⁊ aīe malū qđ patimur trāſmiſſum ē Uerꝫ q2 totus ꝓceſſus noſter naturalis ē ⁊ nihil ꝑ ſcripturas ꝓbamus ꝓpter incredulos. iō ad oculū neceſſe ē hūc p̄mū hoīem demōſtrare ⁊ p̄mā corruptōem Sicut ex malo pene arguimus malū cul

# Capitulum L

pꝫ fuiſſe. ita ex qualitatibꝫ ⁊ ꝯditionibꝫ pene q̄litates penaꝝ agnoſci-
mus Et qm̄ pena (que ē in natura hoīs) eſt vniuerſalis ⁊ cōis omni
ſexui ⁊ omi ꝯditōi. ideo ⁊ culpa ⁊ iniuria eſt oībꝫ cōis atqꝫ vniuer-
ſalis. Et qꝛ oēs naſcunt̄ cū iſta pena ⁊ miſeria. ſꝫ neqꝫ in vtero neqꝫ
naſcendo poſſunt ꝯmittere culpā. qꝛ culpa malū ē volūtarium qḋ a
puulis naſcentibꝫ ꝑpetrari nō pt Idcirco clare ptꝫ ꝙ ille q̇ fecit p̄mū
malū volūtariū vir fuerit ꝑfectus ⁊ adultus. fueritqꝫ p̄mus hō pa-
ter vniuerſalis generis humani. a quo hec malicie ⁊ corruptōis ve-
nena in oīe hoīm genus lōge lateqꝫ diffuſa ſunt ¶ Dominicꝰ Pru-
denter oſtēdis ex idētitate penaꝝ in oē hoīm genꝰ ab vno p̄mo pa-
rēte oēs ꝓpagatos eſſe. ⁊ de lapſu vniꝰ oēs corruiſſe ¶ Raymūdus
Verꝫ qꝛ hoc malū ē in vtroqꝫ ſexu. ideo ſequit̄ primā etiā mulierem
fuiſſe corruptā. ⁊ hāc culpā ⁊ ꝯiugi ⁊ vxori eſſe cōem. Et qꝛ videmꝰ
quaſi duplicatā penā in muliere q̄ in dolore grauiſſimo ⁊ parturit ⁊
parit Hinc facile aduertimus feminā primū offendiſſe deū. ⁊ ab ip-
ſa oēm corruptōis ⁊ malicie fomitē emerſiſſe ¶ Dn̄icus. Primū mi-
hi hoiem oſtēdiſti. ſed oſtēde nūc obſecro p̄mā culpā. ¶ Raymūdꝰ
Dictū eſt ſupra ꝙ in p̄mo ſtatu an̄ lapſum adeo oīa mēbra hoīs obe-
diebāt volūtati. erātqꝫ ſub īmpio rōnis Sꝫ mō experimur vnū mem
brū in vtroqꝫ ſexu. mēbꝝ ſcꝫ genitale tā rebelle eē vt nolit acq̇eſcere
imperio coercētis. q̇d hoc putas ſignificat. ¶ Dn̄icus. Hoc certe ꝙ
ſicut oēs ꝑ inobediētie mēbꝝ generamur. ita oēs nos eſſe inobedien
tie filios ⁊ parētes habuiſſe rebelles ¶ Raymūdus. Recte tu q̇dem
Nā parētes habuimus deo inobediētes. ſꝫ inobediēs nemo ē niſi q̄
ꝯtēnit mādatū. fuit igit̄ aliqḋ dei mādatū cui inobediētes extite-
rūt Diuo deꝰ debuit p̄mis parētibꝫ ponere aliqḋ mādatū ꝓpter cer-
tas rōnes Primo rōne liberi arbitrij cuius ſunt opa remunerabilia
vt ergo ex pte opeꝝ arbitrij recipiat hō premiū. prius debuit habere
mandatū Scdo. cū homo (licet impaſſibilis eſſet ⁊ immortalis) ege
bat ampliori ꝑfectione ⁊ celeſti gloria. iocūditate ⁊ beatitudine (ad
hoc em̄ ſuus eū ꝯditor fecerat) ideo deus debuit illi dare promeren-
di occaſionē. Et qꝛ nihil efficacius eſt ad meritū q̄ꝫ pura ⁊ prompta
obedientia. Primum em̄ ⁊ radicale opus ſerui ad dominū eſt ex cor
de ⁊ ſimpliciter obedire. in quo omnia alia opera fructuoſa reddun-
tur. Nam ſi obedientia nō eſt ſincera nullum erit opus acceptabi-
le. idcirco certe homo debuit primū exerceri in opere obedientie De-
buit igitur accipere mandatū. ⁊ tale mandatum in quo nulla potu-
it vtilitas apparere ne ꝓpter commodum cuperet operari. ſed ex me
ra obedientia p̄cipientis dei. vt vel ſic dilectio probaret̄ ⁊ ꝓbata co
ronaretur. Verꝫ ne putaret hoc mandatum homo friuolum eſſe nec
magnopere deum curare ſi rumperet̄. ideo grauiſſimā penam cōmi-

natus eſt deus. mortē ſcʒ que ē oīm formidatiſſima ⁊ amariſſima vt
ſuū preceptū ſeruaret illeſum. ¶ Dn̄icus. Intelligo manifeſte ꝓmā
culpam. Ex quo eīm ab adā in oēs hoīes mors ſuā exercet tyranni/
dem facile liquet hāc de inobediētia ꝓmi patris pullulaſſe. Prima igi
tur inobediētia ē. de qua oīm maloꝝ. penaꝝ. corruptionū ac calamita
tū germē emerſit. Si eīm hō ꝓthoplaſtus obediētiam ſuo ſeruaſſet
opifici. oīm bonoꝝ ꝯfirmationē meruiſſet ⁊ eterna eſſet gloria coro
natus. Sic poſtq̄ʒ obedientiā fregit quicq̄d boni habuit ꝑdidit ⁊ ꝑ/
petuā amaritudinē conq̄ſiuit. Eſt tn̄ vehemēter mirādū cur hō in tā
ta ꝑfectōne creatus. diuinis bn̄ficijs auctus. dei ſpecialis amicus. ſin
gulariter ab eo ſublimatus deū ſic voluerit offendere. ⁊ fracto tā fa/
cili mādato nihil leſus ꝑtinaciter rebellare

## Qr homo nunq̄ʒ dei precepta fregiſſet niſi fuiſſet ab alio inſtigatus

¶ Caplm̄. li.

Raymundus. Reuera mi dominice nunq̄ʒ hō tantis bn̄ficijs
honoratus dei mādata fregiſſet. niſi ꝑ aliū quēlibet fuiſſet in/
ſtructus. Rurſum. nunq̄ʒ potuiſſet hō dei amator inſtrui ad mādatā
frangēda. niſi inſtigator maius aliqd̄ ꝓmiſiſſet bonū q̄ʒ qd̄ hō tunc
poſſidebat. Improba igit̄ atq̄ʒ importuna inſtigatio ⁊ magnaꝝ reꝝ
ꝓmiſſio hoīem impulit ad ruinā. ¶ Dn̄icus. Sed q̇s fuit obſecro
ille falſarius q̇ hmōi dolis hoīem fefellit ⁊ impulit ¶ Raymūdus.
Quicq̄d hoīe inferius eſt (eo q̄ induſtria caret) hoīem decipe nō po/
tuit. Sed nec ipa hoīs natura in id inclinata fuit. Ergo ſequitur q̄
malignus aliq̄s ſciens ⁊ potēs operari malū ⁊ hoīs inuidēs ꝓſperi/
tati ⁊ aduerſarius creatori hoīem inſtigauerit in iſtā ꝑſumptiōis au
daciā. ¶ Dn̄icus. Oportet ergo neceſſario dicere q̄ iſte q̇ impulit vel
ꝑſuaſit hoī. nature fuerit ſp̄ualis. angelus aliq̄s malus. corruptus.
erraticus ⁊ ꝓlapſus. Atq̄ʒ inde ſeq̄t̄ q̄ in natura mere ſp̄uali fctā erat
corruptio anq̄ʒ fieret in natura hūana. Raymū. Vere ſeq̄t̄. Niſi eīm
ꝓus angel⁹ corruiſſet. nūq̄ʒ hūana natura eo iſtigāte dei mādata fre
giſſet. ¶ Dn̄ic⁹. Libēter aſſentior. ſʒ rogo te vn̄ tāti mali corruptō in na
tura āgelica origīnē duxit. cū eīm fuerit bona ab optimo deo creata.
Quō natura angelica ꝓmuz ſit corrupta
q̇s eā q̄ſo corrupit. ¶ Raymūd⁹. Tāte ſblimitatꝭ ē angelica natura q̄
a nullo potuerit ad caſuꝫ ꝑſuaderi. Peccauit. igit̄ ſua ꝓp̄a inſtigatōe
ꝑmota. nullo docēte. nullo mōſtrāte. Occaſio aūt hui⁹ ruine iſta fuit.
Sp̄ualis etenī natura cū eēt creata in ſumma dignitate. nobilitate
ſblimitate. ⁊ pulcritudīe. haberetq̄ʒ liberꝫ ar. admodū puꝝ. altū. ⁊ in
geniū. idcirco habuit magnā occaſionē ſupbiēdi ⁊ in ſemetipa oble
ctādi. ſe admirādi. ſe diligēdi. ſʒ vbi hoꝝ occaſio maior ē ⁊ ruina ꝓ/
pinq̄or. Prim⁹ igit̄ angel⁹ ⁊ multi cū eo ſtatī vt fuerūt creati ꝯtēpta

# Capitulum LI

diuina maieſtate ⁊ pulcritudine ceperūt ꝓpriā amare volūtatē. ꝓ/
priā pulcritudinē ⁊ honorē. ⁊ ita vt amētes atq; erratici peccauerūt
et ceciderūt ⁊ a dei ꝯſortio ꝓiecti ſunt. Sic itaq; ꝑmus angel⁹ cum
eſſet oīm pulcerrim⁹ ⁊ nobiliſſim⁹ ſpreto maximo creatore ꝑuatum
cepit amare decorē. ⁊ ſeipm deū ſtatuēs ꝓpriā venerat⁹ ē altitudinē.
ꝓpriā amplex⁹ volūtatē. ⁊ ꝓpriū in alijs ambiuit honorē. Atq; hoc
mō cū nūq; deū amauerit nūq; veneratus ſit. ſ; ſp ſeipm ſupbiſſime
dilexerit. iō factus ē inordinat⁹. ꝑuerſus. iniuſt⁹. deo ꝯrius Habuit
eīm ſp a die q̄ ꝯditus ē amorē ꝓprij honoris. laudis ⁊ excellētie. cu/
piens iniuſtiſſime oīb⁹ dn̄ari. oīb⁹ anferri. Et q̇dē ſi nō ſupbiſſet oī/
bus illū deus ꝑtuliſſet agminib⁹ angeloꝝ. idcirco eīm tā ſublimis. in
genuus ⁊ decorus pre ceteris ꝯditus fuerat. Uerꝝ qꝛ abiecto deo pro
pria gl'ia delectatus ē. cū eēt creatura recēter dei manu de nihilo ꝓdu/
cta. iō ſummā iniuriā. offenſam ⁊ rapinā fecit ꝯditori ſuo. ſe deū faci
ens. ſe colens ⁊ coli atq; adorari ambiēs. Et qꝛ amor ꝯuertit aman
tem in rē ꝑmo amatā. iō hic ꝑmus angelus totus ꝯuerſus ē in ſuā
ꝓpriā voluntatē quā ſp ſeqtur. ſp amplectit. ⁊ nullā aliā. ⁊ iō quic/
q̇d ſemel vult ſp vult. ⁊ ꝓpria autoritate vult. eſtq; obſtinat⁹ in ſua
volūtate vt in eternū aliud velle nō poſſit niſi ꝓpriā voluntatē Id/
circo odit ſummope oēm voluntatē ſue voluntati reſiſtentē. atq; iō
vehemētiſſime deū odit ⁊ execrat ⁊ dei volūtati q̄ꝫtū pt reſiſtit ⁊ ꝯtra
dicit. Uerꝝ qꝛ nūq; pt dei volūtatē īpedire. iō ſeuit. fremit. indignat.
et ſua apud ſe malicia ꝯtabeſcit. Porro oēs illi angeli q̄ a ꝑncipio
huius luciferi īprobis auſib⁹ fauerūt ⁊ ſupbie cornu dederūt peccato
ri ſub ei⁹ volūtate. ꝑncipatu. atq; imperio redacti ſunt. ⁊ hui⁹ peſtife
ri capitis mēbra effecti. nihil aliud pn̄t aut velle aut amare q̄ꝫ qd̓ ille
cōcupiſcit ¶ Dn̄icus. Ex his q̄ nūc dicis duas palā volūtates pri/
mas intelligo multū inter ſe diſcordes ⁊ lōgiſſime inter ſe diſtātes.
quaꝝ vna ē volūtas eterna. ⁊ alia volūtas luciferi noua. q̄ mala ē et
ꝑmo mala. nō deo ſic eā creante. ſ; illo opante. Ad has duas ꝑmas
volūtates oēs alie reducunt. Si eīm ſunt bone vadūt ad volūtatē
dei. ſi male ſub volūtate cadūt luciferi. He aūt ꝯtrarie gemine volū
tates geminū ꝯſtituūt exercitū ꝯtinue ꝯtra ſe pugnantē ⁊ ſe mutuo
ſternere cupientē. vterq; fortꝫ. vterq; terribilis ſicut caſtroꝝ acies or/
dinata. Quotiēs tn̄ rex celoꝝ cū ſua militia vincere voluerit neceſſe
eſt vt vincat ⁊ ptem ſubruat inimicā ¶ Raymūdus. Debes tn̄ noſſe
bonoꝝ exercitū angeloꝝ caput ꝓpriū nō habere. qd̓ in lucifero cor/
ruente ꝑdiderūt (deus eīm nō pt eē ſue caput creature) idcirco necē eſt
deū vt bonis angelis nouū caput ꝯſtituat. deq; ſuo loco dicem⁹. Tu
tn̄ diligēter notato q̄le hoc caput futuꝝ ſit ¶ Dn̄icus. Faciā qd̓ hor/
taris. Interea tu quod cepiſti ꝓſequere.

Nota duas ꝑ/
mas volūtates
ꝯtrarias.

# Dyalogus Quintus

## De magnitudine malicie et cor-ruptoīs in p̄mo angelo. ⁊ malo eiꝰ culpe ⁊ pene. ¶ Caplm. lij.

Raymūdus. Soluta ē (ni fallor) queſtio tua q̄ q̄rebas vn̄ tāti
mali corruptio in angelicā potuerit ſubingredi creaturā. Nūc
De malo culpe — de magnitudine huiꝰ corruptōis pauca dicamꝰ. Quādo res aliqua
ꝑmutat̄ in ꝯtrariū ſue nature. neceſſe ē vt aſcēdat ad tantum malicie
gradū quātus erat ipe gradꝰ bonitatis vel eē poterat. Et q̄̄to res q̄
ꝑuertit̄ ē melior. altior. nobilior. tāto peior efficit̄ vilior ⁊ malignior.
Quia igit̄ lucifer inter oēs angelos erat longiſſime melior. clarior.
pulcrior. ſapiētior. iō poſtq̄ȝ ſua ſe ſupbia corrupit factꝰ ē oīm īfimꝰ
peſſimus. turpiſſimꝰ. obſcuriſſimꝰ. viliſſimus. amētiſſimus. Et ta-
lis oīno effectus ē q̄lis ē ⁊ ſua volūtas ꝑuerſa. inordinata. ceca. ſup-
ba. maliuola. Hanc aūt voluntatē q2 ſp ipe diligit. iō nō diligit niſi
oēm maliciā. turpitudinē. impietatē. ſcelera oīa atq̄ȝ peccata. Hinc
execrat̄ ſummope oēm iuſticiā. fidē. pietatē. ꝟtutē. ¶ Dn̄icꝰ. Utinā
tā deformē nobis hūc ſceleſtiſſimū tuo depingas ſermone q̄ eū dein-
ceps acriter aſpnemur. ¶ Raymūdus. Uer2 q2 hic ſupbiſſimꝰ intel-
lectū hȝ altiſſimū ⁊ poſt deū ſumme ſubtilē q̄ ſp cū ſua volūtate con-
cordat. iō inflectit illū ad inueniēdas nouas artes. nouas deceptio-
nes. fraudes. mēdacia. Et q2 ipe ē mēdax ⁊ mēdacij pater. iō inq̄rit
falſas q̄ttidie ꝑſuaſiones. cautelas. tētatōes. ⁊ ꝑ mille meandros in-
ſerpere nitit̄ cordibꝫ electoꝝ anguis lubricꝰ ⁊ imundus. ¶ Dn̄icus.
Miror ſi hic peſtifer hanc tantā ſuā maliciā ipe nō videat. ¶ Ray-
mūdus. Plane nō videt. ꝓpria malicia ⁊ excecatꝰ ⁊ obduratꝰ. Amor
eñ ſue neq̄cie ita illi cordis oculos obducit vt ſua infinita ſcelera nō
videat. nec ꝓpriā corruptōem aut turpitudinē intelligat q̄ vel dolere
poſſit vel penitere. Atq̄ȝ iō ſp q̄tiens aliq̄d (qđ nolit) patit̄ ꝯtra deū
murmurat. deū maledicit atq̄ȝ blaſphemat. ¶ Dn̄icus. O funeſtiſſi-
mū oīm maloꝝ caput. o p̄ncipē oīm vicioꝝ. oīm tenebraꝝ. ⁊ oīm ſce-
lerū ac turpitudinū inuentorē. ¶ Raymūdus. Agnouiſti nūc q̄le ſit
in lucifero malū culpe. vide nūc malū pene. Qui eñ malum cōmiſit
voluntariū dȝ ⁊ malū inuoluntariū ſuſtinere. Fuit eñ creatus a deo
vt ſi in bonitate natiua ꝑſiſteret ad ſummā felicitatē trāſferretur. ita
poſtq̄ȝ ſua ſe ſponte corrupit multa illū calamitas ē ꝯſequuta. Pri-
mo irremediabili exilio a dei viſione. a dei pace. a dei bonitate reiectꝰ ē.
Scđo. a ſummo celo expulſus in caliginoſum hūc aerē q̄ſi in q̄dā
carcere cū ſuis ſatellitibꝫ relegatꝰ ē. Tercio poſt hūc carcerē tpalē in
ꝓfundiſſimū infernū eterno igne cruciādus p̄cipitabit̄. Licȝ eñ ap
hos ignes dei iudicio ꝯdēnatꝰ ſit. nondū tñ ſniē exequutio ē ꝯſum-
mata. Alioq̄n nec p̄mos parētes aūt tētare aut ꝯtra deū inſtruere po-

tuiſſet. Quarto ē intra ſe vehemēter inordinat⁹ ꝛ incōpoſit⁹ in oībꝫ
cogitatōībꝫ ꝛ deſiderijs ſuis horrid⁹. amēs. turgid⁹. inflat⁹. aſp. im/
mitis. furibūdus. ſine pace. ſine qete. ſine federe. ſp cupiēs ſuā volun
tatē nequiſſimā adimpleri. ꝛ qꝛ id efficere nō pt in ſumma meſtitudi
ne vitā agit ꝛ indignatōe. Et lꝫ interdū de malo ppetrato aliqꝫtulū
gaudeat. tñ rurſum de maiori bono ꝯtriſtat. ¶ Dñic⁹. Reuera ingēs
hui⁹ beſtie calamitas. ꝛ iō amariſſima qꝛ ppetua. Nec min⁹ miſeri ꝛ
infelices ſunt q̄ huius peſtiferi capitis mēbra fiunt

# Qualiter hoīes incorporanꝰ cū lucifero ꝛ fiunt mēbra eius ¶ Capl'm. liiij.

RAymūdus. Dictū ē paulo añ qꝛ nō ſunt niſi due voluntates
pme inter ſe plurimū ꝯrie. Una ē volūtas dei. ꝛ hec ē cōis in oī
bus bonis angelis ꝛ hoībꝫ. Alia ē volūtas luciferi mala. ꝛ hec cōis
ē in oībꝫ pverſis ꝛ angelis ꝛ hoībꝫ. Et qꝛ oīs volūtas pma inqꝫtuꝫ
pma nulli ſubijcit. ſꝫ facit ex ſeipa ſuū regnū ꝛ dominiū. ꝛ hꝫ ſuas le/
ges ꝛ inſtituta. iō nō ſunt niſi duo regna. regnū ſcꝫ dei ꝛ regnū luci
feri. Et qꝛ hic lucifer ppria volūtate ꝛ ꝟtute vult dñari. iō tāqꝫ deus
in oībꝫ ſuū qrit honorē. ſe vult coli. ſe metui. ſe adorari. Atqꝫ iō oīa
illa diligēter inqrit p q̄ pt maxime venerari. dei cultū ipediēs ꝛ dei re/
gnū. Uidēs itaqꝫ pmū hoīem in paradyſo vitā feliciter agentē. deū
colentē ꝛ amantē. ꝛ celeſtia poſt hec regna preſtolantē. tact⁹ inuidia
cordis intrinſecus. hoīem cepit tentare. diſcutere. inſtruere. offerre
plurima. ꝛ plura pmittere. Nec añ deſtitit iprobꝫ exactor ꝛ auar⁹
predo donec hoīem ſponte illectū dei inimicū efficeret. ꝛ ſuis cū legi/
bus ꝛ volūtatibꝫ ſubiugaret. Hoc mō captiuauit hoīs volūtatē q̄
eā remouit a dei pcepto ꝛ ſuis obſequijs irretiuit. ¶ Dñicus. Meri/
to hinc fact⁹ ē hō mācipiū ꝛ mēbrū dyaboli. A q̄ eñ qs ſupat⁹ ē hu
ius ꝛ ſeruus eſt. ¶ Raymūdus. Debes tñ agnoſcere qꝛ aliter angeli
mali ſunt ſub dñio luciferi. ꝛ aliter hoīes. Quia inter angelos null⁹
hꝫ ppriā voluntatē a volūtate luciferi ſeparatā. Et iō inter eos nul
la ē diſcordia. nulla lis. nulla rixa. ſꝫ oēs vnanimiter ꝯplere ſatagūt
ſui pncipis volūtatē. Porro hoīes aliter fiūt mēbra maligni demo/
nis. Quilibet eñ hō mal⁹ hꝫ ppriā ex ſe volūtatē. ꝛ tot ſunt diuerſe
volūtates q̄t hoīes. Inde tot inter hoīes iurgia. tot q̄tidie lites et
ꝯtentōes. Oēs tñ he volūtates. qꝛ male ſunt ſigno luciferi ꝯſignate
ſunt. ꝛ ad ſuā militāt volūtatē. ¶ Dñicus. Intelligo plane. his eñ
prauis hoīm volūtatibꝫ dyabol⁹ ſe imiſcet. Et qꝛ gaudet in rebꝫ peſ/
ſimis. iō cōmouet ꝯtra hoīem. gentē ꝯtra gentē. ꝛ regnū aduerſus re
gnū. Huius inſtinctu fiunt homicidia. ſtupra. adulteria. veneficia.

Nota quō dyabol⁹ pmū hoīeꝫ decepit.

ſortilegia. ⁊ mille oīm generꝝ ſcelera ¶ Raymūdus. Ita ē ſane. Utitꝰ eñ iſte malignꝰ hoīm impioꝝ voluntatibꝰ ad ſua neq̃ſſima deſideria. ⁊ qd̕ ipe ꝑ ſuos angelos cōplere nō p̄t. hoīm ꝑuerſoꝝ ingenijs deducit in actū. Sicut eñ eques freno iumentū cui inſidet vbi voluerit ipingit. ita dyabolꝰ q̃ſi q̃dā ꝑſuaſionis capiſtro hoīm mentes (q̇bꝰ p̄ſidet) in ſua vota ꝑducit. Poſtq̃ȝ igit̃ hō a deo inobediēdo receſſit dyaboli iumentū factꝰ ē. velit nolit illi obediēs. illi ſeruiēs ſub tributo ¶ Dñicus. O miſerrimā hoīs ſeruitutē multis deflendā lachrymis. q̇ inter latrones incidēs ſpoliatꝰ ē oībꝰ bonis. ⁊ nō ſolū captiuus abductꝰ. ſȝ etiā captiuus captiuoꝝ effectus eſt. Plura dicerem. ſed me lachryme gemituſq̃ȝ prepediunt

## De multiplici carcere et captiuitate collapſi hoīs. ¶ Caplm̄. liiij.

Raymūdus. Ego q̃q̃ȝ nō minꝰ q̃ȝ tu lachrymabilr̄ meſtus cōceptū ſermonē retinere nō p̄ualens. qd̕ tu ſubtices ego aperiā. Triplicē hoīs carcerē debemꝰ agnoſcere ¶ Primus ē carcer corꝑalis vallis hec lachrymaꝝ. in q̃ de ameniſſimo ꝑadyſo ꝓiectus iacet. Poteſt etiā hoc mortale corpꝰ caducū ⁊ miſeꝝ merito etiā carcer appellari in q̃ aīa lāguida ⁊ moribūda īplicita retinet̃ ¶ Scd̕s carcer ē ſpiritualis. ipa ſcȝ volūtas dyaboli q̄ ē carcer vl̕is. in q̃ recludunt̃ oēs impie volūtates vt neq̄ant oꝑari niſi ad luciferi volūtatē ¶ Dñicꝰ In hoc carcere (ſi nō fallor) ⁊ ip̄e lucifer īplicitꝰ tenet̃. vt ſtultꝰ innectat̃ vinculis ſuis ¶ Raymūdus. Nihil verꝰ. Tercius carcer ē ipa ꝓpria hoīs volūtas in q̄ ip̄e hō ꝯpeditꝰ aſtringit̃ vt ſeſe ad bonū mouere nō poſſit. Nulla certe maior ⁊ crudelior captiuitas q̃ȝ ꝓprie voluntatis. Hec eſt illa inſatiabilis vorago ⁊ inexplebilis caribdis. q̄ in īfinitū ſua deſideria tēdit. ⁊ ab vna dei volūtate recedēs ꝑ tot ſpargit̃ ꝯcupiſcētias q̃t ſe res obtulerint q̄ poterūt ꝯcupiſci. ¶ Dñicus. O q̃ȝ ſalutiferꝝ eēt hoī ſub dei volūtate māſiſſe Jā eñ haberet ſummā in ſua patria libertatē. nullā nūc ſciret aut mortē aut corꝑis miſeriā. nullam hoꝝ carcerū ſentiret anguſtiā. nullaȝ experiret̃ dei indignationem. ſiue vindictam.

## Quomodo corruptio liberi arbitrij et ſpiꝰ carnis ꝯtrario mō ſe hȝ ī p̄mis parētibꝰ ⁊ ī poſterꝫ. ¶ Caplm̄. lv.

Raymūdus. Humana natura diuidit̃ in duas ꝑtes. in p̄mos ſcȝ parētes. ⁊ in ſuos poſteros Primi parētes nō ſunt ꝓpagati. ſȝ dei manu ꝯditi. Tota aūt poſteritas carnē q̇dē ꝓpagatōe ſumpſit ab adā. ſȝ aīam creando deꝰ infudit carni ꝓpagate. Quia igitur carne ab adā deſcēdit tota poſteritas. ſequitur ꝙ oīs corruptio (q̄ in

# Capitulum LV

ꝑoſteris inuenitur de carne corrupta venerit prothoplaſti et hec cor/
ruptōis diuerſitas Jlle eñ corruptōem carnis traxit de corruptōne
ſupbiſſime volūtatis. nos aūt q̄ poſteri ſumus de carnis corruptōe
aīarꝫ noſtrarꝫ maculas poſſidemus Jllius carnē corrupit ꝯtumacis
aīe inobediētia. noſtrā aīam ꝯmaculat miſerabilis ꝛ infirma caro de
fetēti libidine ꝑ ꝓpagatōem generata Oīs eñ caro humana q̄ ꝑ
coituꝫ fede libidinis generaꝝ infirma ē. ſordida. caduca. mortalis. ꝛ
rōni rebellis. plena ꝯcupiſcētiarꝫ ꝛ malorꝫ motuū Et ideo aīa rōna/
lis q̄ tali carni ſociaꝝ ꝯtinuo inficiꝝ. ꝑuertiꝝ. corrūpiꝝ. ſordidaꝝ. non
aliter q̄ȝ ſi balſamū puriſſimū turpiſſimo vaſi infuderis Hāc corru
ptōem ꝯtractā a carne aīa manifeſtat qñ vti incipit libero ar. Tunc
eñ inueniꝝ deū ignorare. ſe ꝛ ſua bona ꝛ mala neſcire. ſuā amare volū
tatē. ꝛ dei iuſſa ꝯtēnere ¶ Dominicus. Duos ex his q̄ dicis aīe ſta/
tus accipio Unū quē hȝ añ vſum arbitrij. in q̄ ꝓpter corruptā car/
nē (cui iūgiꝝ) iā eſt immūda. turpis. ꝛ deo odibilis. lȝ nihil ſua ſpōte
peccauerit. cui tñ hec immūdicia imputaꝝ ꝓpter carnē primi patris
corruptā cui inheret Aliū ſtatū hȝ anima poſt vſum liberi ar. q̄d q̄ꝛ
ꝑius a carne viciatū eſt. ideo ipa aīa ꝓpria volūtate actualiter ma/
lū agit ꝛ nō p̄t niſi malū agere ꝛ deo rebellare. Et ideo efficiꝝ multo
deterior ꝛ turpior q̄ȝ fuerat añ Si eam potuit inq̄nare ꝛ ream face/
re crimen originale ꝛ inuolūtariū. multo magis rea erit ꝓpter actu
ale malū q̄d volūtarie cōmiſit Sed dic mihi obſecro. quare deus (q̄
iuſtiſſimus ꝛ clemētiſſimus eſt) aīam ream tenet ꝓpter originale cri
men q̄d volūtarie nō ꝯtraxit ¶ Raymūdꝰ. Ream q̄dē tenet. inuo/
lūtario tñ malo nō punit. q̄ꝛ nemo debet pena inuolūtaria puniri ni
ſi volūtaria culpa deliq̄t Sepaꝝ tñ talis aīa eternaliter a ꝯſortio dei
ꝓpter originalē maculā ꝛ mortiferā quā ab ade carne ꝯtraxit. Et in
hoc vide diſtrictiſſimā iuſticiā dei. q̄ aīe ignorāti malū imputat q̄d
ſponte nō fecit ¶ Dominicus. Sȝ quare deꝰ aīam mūdiſſimā corpi
infundit quā nouit ſordidādā eſſe atq̄ȝ corrūpendā ¶ Raymūdus.
Qȝ aīa corrūpiꝝ atq̄ȝ etiā poſt corruptōem a dei ꝯſortio ſeparaꝝ nul
latenus ē bono deo imputādū. nec eſt ꝯtra dei iuſticiā ſi malū culpe
trāſmittaꝝ ad poſteros Hec eſt eñ inter deū ꝛ hoīem facta ꝯſtitutio
vt hō per coitū carnē gignat. ꝛ deꝰ genite carni aīam infundat Sed
poſtq̄ȝ ꝑmus hō ſuū corpus inobediēdo corrupit. ꝛ ꝑ tale corpꝰ cor
ruptū ſit aliorꝫ corporꝫ ꝓpagatio. Et ſicut corpa ita ꝛ corporꝫ vicia
trāſmittunꝝ Licet igiꝝ hō ſuū opus corruperit. deus tñ ꝓpoſitū ordi
nis ſui mutare nō debuit. q̄ȝuis eñ caro ſit dei iuſto iudicio punita.
hoc eſt caduca ꝛ corruptibilis facta. ꝓpter hoc tñ ꝑmā ꝯſtitutionē
deus violare noluit quin ſꝑ ꝓpagatis corporibꝫ licet viciatis ani/
mas mundas infundat. quibꝫ dum ſociate fuerint maculas contra

¶ Nota q̄uō ori/
ginale peccatū
hoīeȝ reū facit.

hūt ⁊ ruinas Jſta igiť ruina nō deo imputāda eſt.ſꝫ infecto ⁊ peſtí-
fero corpi.qđ a ruinoſa ⁊ corrupta carne ꝓmi parētis deſcēdit.de cu
ius pctō quicq̄d maliuolū vel miſeꝝ in aīa ⁊ carne poſteritas patiť
originē duxit ¶ Dn̄icus. Sꝫ nūq̄d ipa ꝓpagatio ſeu generatio de
ſe trāſmittit in poſteros ipam quā cernim⁹ vtriuſqꝫ hoīs corruptio
nē ¶ Raymūdus. Nō ipa generatio ſꝫ generatōis libido. q̄ genera
tōi de cōi lege ruine ꝯiungiť Nā an̄ pctm̄ fuiſſet vtiqꝫ ꝓpagatio.ſed
libido nulla fuiſſet Certe vidiſti nūc mi dn̄ice miſerabilē hoīs cor-
rupti tragediā luctu ⁊ lachrymis plenā ¶ Dn̄icus Vidi fateor op-
time mgr̄.⁊ incōſolabili dolore ꝑcuſſus ſum nec vllaten⁹ potero re-
ſpirare niſi oſtēderis mihi qb⁹ remedijs tā ingētia poterūt hoīs ma
la reformari ¶ Raymūdus Animeq̄orſeſto.in ꝓximo ē vt ꝯſoleris
Verꝫ q: cernis prādij horā inſtare.queſo vt vſqꝫ poſt meridiem pre
ſtoleris ¶ Dominicus. Pareo libens.

¶ Finit quintus dyalogus.de multiplici lapſu humani gn̄is.⁊
ꝙ ꝑ vnum cecidimus omnes

¶ Incipit ſextus dyalogus.de reparatōe lapſi hoīs.⁊ ꝙ ꝑ vnū
omnes conſurgimus.

## Qualis et q̄ magna ſit homi-
nis obligatio ꝓ iniuria ⁊ offenſa dei ¶ Caplm̄.lvi.

Raymūdus. Priuſq̄ꝫ loquamur q̄uo poſſit collapſus ⁊ cō-
fractus hō reparari neceſſe ē dicere de magnitudine offenſe.⁊
de maxima obligatōe iniurie quā hō ꝓteruus ⁊ inobediēs
in deū maximū ꝑpetrauit Tūc ꝓmū tibi ſapiet magnitudo
et dulcedo remedij.cū magnā egritudinis acerbitatē agnoueris.
¶ Dn̄icus. Rurſum (vt video) me ad lachrymas mittis ¶ Raymū-
dus Jta oīno neceſſe ē Nunq̄ꝫ nec humilis nec grat⁹ tuo medico fi-
es niſi egritudinis tue morbū ad liq̄dū dephēderis Nō putabis me
dicū tibi oportunū fuiſſe niſi dū vulneꝝ tuoꝝ deſperatā putredinem
intuitus fueris ¶ Dn̄icus. Si ſic neceſſe ē facito vt voles. ¶ Ray-
mūdus. Vt magnitudinē culpe atqꝫ offenſe agnoſcas.oportꝫ te non-
nulla aīaduertere. Primū eſt.ꝙ oīs offenſa tāti ē eſtimāda tantūqꝫ
ponderāda q̄ꝫta ē ipa q̄ offendiť ꝑſona Cū igiť ſit de⁹ infinite maie-
ſtatis.ſapiētie ⁊ bonitatis.ideo iniuria in deū cōmiſſa ē penitus infi-
nita ¶ Dn̄icus. Hinc palā intueor ꝙ q̄ deū offendit obligat ſe ad in-
finitā atqꝫ interminabilē penā Raymūd⁹. Scōm eſt.nā exquo iniu-
ria in deū ꝯmiſſa ledit ac deſtruit q̄ꝫtū ex ſe ē honorē ⁊ gloriā dei q̄ eſt
infinitus.iō talis in hoīe cōtēptus fit infinitus ⁊ ad infinitam obli-
gat amaritudinē Tertiū ſi hō ꝯpleſſet in obſeruatōe mādati volun-

Nota magni-
tudinē culpe.